



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta**

**Gallemart, Jean**

**Coloniæ Agrippinæ, 1621**

Capvt VI. Modus præparationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39157**

vers. Quæst. 2. P. Agid. de Sacramentis, & censur. to. 2. disp. 2. dub. 4. nu. 34.

β *Conuertimini ad me* ] Concordat text. in cap. conuertimini, de pœn. dist. 1. & illud Zach. 1. vers. 3. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos, & illud Ioel 2. vers. 12. Conuertimini ad me in toto corde vestro.*

γ *Conuertite nos Domine ad te.* ] Concordat illud Ierem. 31. vers. 18. *Conuerte me, & conuertar; & illud eiusdem Ierem. in orat. vers. 21. Conuertite nos Domine ad te, & conuertemur.*

## CAPVT VI.

## Modus preparationis.

**D**isponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, a fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt; atq; illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiã eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumq; tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt; β ac propterea mouetur e aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiã, quam ante Baptismum agi oportet: deniq; dum proponunt suscipere Baptismũ, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: *d Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirẽtibus se remunerato sit. Et, e Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, f Timor Domini expellit peccatum. Et, g Pœnitentiã agere, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et, h Eunt ergo docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcumque mandauì vobis. Denique, i Præparate corda vestra Domino.*

C 4

REMIS-

## REMISSIONES.

**V**ide Balduin. Iunium super opera controuers. Bellarm. p. 2. l. 5. cap. 3. vers. quæst. Pat. Ægid. de Sacram. & censuris, tom. 2. disp. 2. dub. 6. n. 56.

**β** *Ac propterea.* ] Vide Nau. in manu. c. 1. nu. 38.

**γ** *Ante baptismum.* ] Vide Nau. in c. ult. de pœn. dist. 7. num. 10. Par. Henriq. in sum. lib. 1. num. 5. Par. Soar. disput. 7. sect. 4. §. occurrebat. P. Ægid. q. 62. art. 1. dub. 2. n. 31. cum seqq.

**δ** *Vnde in ipsa iustificatione, &c.* ] Vide Gabr. Vasqu. in 3. p. D. Thomæ tom. 2. q. 19. disp. 158. n. 50.

**ε** *Et pœnitentiam agite.* ] Concordat text. in cap. agunt, & cap. propriè, de consecr. dist. 4. & illud Actor. 2. vers. 38.

**ζ** *Euntes ergo docete omnes gentes.* ] Concordat illud Marth. vltim. vers. 19. & illud Marc. vlt. vers. 15. & c. 1. c. si qua, cap. propriè, de consecr. dist. 4.

## CAPVT VII.

*Quid sit iustificatio impij, & qua eius causa.*

**H**anc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit *a* hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuito *b* abluit & *c* sanctificat, signans & vngens *d* Spiritu promissionis sancto; qui est pignus hereditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus Vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus: qui, cum *e* essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis *f* iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. instrumentalis item, Sacramentum Baptismi; quod *g* est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio: demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu  
mentis

*a Tit. 3.*

*b 1. Cor. 6.*

*c Tit. 3.*

*d Eph. 1.*

*e Eph. 1. d.*

*Rom. 5.*

*f Eph. 2. 2.*

*Rom. 4. d.*

*g c. nihil est,*

*de consec.*

*dist. 4.*